

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

et perfecta et summa dulcedo: omnis, per-
fecta et summa pulchritudo: omnis, perfecta,
et summa amoenitas: omnis, perfecta, et summa
voluptas: omnis, perfecta, et summa bonitas.
Et tamen mentem meam necdum delectat a-
mare te! necdum complacet anima mea, uni-
ce diligere te! ah quenam me dementia tenet?
quantis mentis obvolvor tenebris? Domine
Deus illumina tenebras meas, illustra fa-
ciem tuam super servum tuum. O lumen,
quod semper lucet et nunquam obfuscari, illu-
cesce mihi, ut videam voluptatem tuam, et
quiescem, quam suavis sit Dominus his, qui
recto sunt corde, teque solum, verum, unicam, ac
summum bonum meum semper super omnia
diligam.

psal. 17.

psal. 30.

Caput IX. Continuatio earundem, aspirationum.

Ecce cor tuum sine amore esse nequit, nequid-
quam appetit, aut diligit, nisi quod ei bonum
est, tantoque maiori impetu fertur in illud,
quanto id sibi melius esse videtur: et haec est
natura cordis tui. Fateri modo, te aut mente
captum, aut omnino poenam dignum; nosti etiam
Deum tuum summum bonum esse, nihilque il-
lo melius, aut majus unquam cogitari posse;
et tamen eum tuo amore, veluti indignum re-
putas. Heu quam raro de eo cogitas! quam
remissus, quam segnis es in ipsius dilutione!
En magis perpetuo ferri in ea, quae extra Deum
sunt, licet noveris, illa vana esse, et momento
evanescere, quam ut ipsum Deum, quem scis

vera ac aeterna bona in se continere, eas fruenda
 tibi ultro offerre, unice queras, ac diligas. O De-
 mentia! o coecitas cordis mei! Quis medebitur ma-
 lis meis, nisi tu Domine Deus meus meus, qui
 illuminas omnem venientem in hunc mundum?
 Ah illumina oculos meos, ut videam te, qui es
 fons omnis voluptatis. Accende cor meum, ut
 diligam te, qui es fons omnium bonorum.
 Sana animam meam ab omnibus inordinatis
 affectionibus, ut nihil desiderem, nisi te, qui
 es unicum, et summum bonum meum.

2. Si in Deo aliquid boni quaesieris, nec inveneris
 noli ipsum amare, noli cor tuum ei apponere,
 quod si vero illud et adhuc plura alia bona
 in immensum in eo repereris, tunc inexcusabilis
 es, si eum ex toto corde non dilexeris. Proh
 Domine Deus meus! tales, ac tantas divitias
 opes, thesauros, tantam gloriam, potentiam,
 magnificentiam: tantam dulcedinem, suavitate
 ac delectationem in te reperire est, ut mens
 mea ea cuncta comprehendere non sufficiat;
 omnia enim, quae excogitari possunt, desidera-
 bilia sunt in te sine numero, et mensura.
 Quid iam dicam, aut quid respondebo tibi, quod
 hactenus adullerina desideria in corde meo fo-
 verim, et te immensum omnium bonorum
 oceanum non sitierim? O bonum super om-
 ne bonum! O bonum continens omne bonum
 O bonum in omni genere bonum! cur te non
 ardentius diligo? quid extra te ambio? Ah

psal. 116. erravi a via veritatis, ^{sectando,} quae vana sunt, sed

iam iurari et statui, terrena cuncta despi-
cere, quod omnem affectum meum in te uno,
vero, ac summo bono meo collocem, tibiq; in-
separabiliter adhaerem.

psal. 118.

3. Alii igitur alia querant, alia desiderent,
unum ego Deum meum, qui est summum bo-
num, quero: unum Deum, qui est bonum
bonorum omnium desidero, o Deus meus et
omnia! Aliis terrenas delicias, saeculi volupta-
tes, mundi honores non invideo, ultro relin-
quo, Deum ego habeam, et omnia habes o
Deus meus et omnia! Neque enim vel dicere,
vel cogitare majus possum, aut melius, quam
hoc ipsum: Deus meus et omnia! Mihi Deus
est epulatio, mihi delectatio, mihi voluptas,
mihi divitiæ, mihi deliciae, mihi quies, mihi
thesaurus, mihi Deus est omnia.

q. Millies hoc dica,
millies hoc cogitabo,
millies hoc repetam;

Drexel in suo
horol.

Caput x

Continuatio earundem
aspirationum.

1. Si caelum et terra, et omnia quae in eis sunt,
bona mihi videntur, quanto melior mihi
videri debet, qui fecit ea, omnia enim bona
fecit ipse Deus; ipse autem est bonus, quem
nemo fecit. Ille bono suo bonus est, et a
se ipso bonus est, et ideo summum bonum est.
Bonum hoc quare anima mea. Summum
bonum, infinitum bonum, immensum, hoc est
suum bonum. Quid ei deest, cui summum
bonum bonum est? Quid ultra appetere potest,
cui infinitum bonum, immensum bonum,